

CAPITIS VIGESIMI-TERTII.

239 247

aliud ergo restat quā ut dicant, incertus plane est & ἔργον, Deoq; relinquendus? Et sane quis, vel Lyncea ingenij acie prædictus, percipiat signa instrumentaliter exhibere gratiam seu rem signatam, exhibitione tali, quæ nec sit physica tantum, nec moralis tantum significatio, nec utrumq; simul, sed aliud & amplius quid relativum & sacramentale? Tum, quis intelligat signa ista concurrere ut instrumenta seu media exhibitia gratiæ, in iis, qui ea legitimè usurpant, cum iij, qui ea usurpāt, ante quā ea usurpent, de gratiæ promissa apud animū suū sint persuasissimi; imo cum idcirco signa ista usurpent, quia rē signis istis significatā jam ante firma fide apprehenderunt, & apprehensionē istam suam publicitus testatā fecerunt? Deniq; quis intelligat, signa Sacramētalia esse instrumēta gratiæ collativa & exhibitia, cum tota gratiæ salutaris operatio immediate a Deo fieri in mente ac voluntate statuatur? Immediate operatio & instrumentalis sunt incompatibilia: Atq; hoc argumentum idcirco majoris momēti videri debet, quod Calvinus & Rivetus, Censorum horum unus, eo ipso pugnant contra Pontificios, qui Sacra menta dicunt esse instrumenta gratiæ collativa. *Hoc enim est*, inquit Rive tus Thes. 28. *Dei actionem propriam & incommunicabilem in instru mēta immediate transferre*. Quare perperam admodum fecisse Cen sores credendi sunt, cum modum istum non tantum confidenter definiverunt præter morem & consuetudinem aliorum, adeoq; contra diserta verba confessionis suæ, sed etiam a Remonstrantibus definiri hic postulant, quasi heterodoxias notam mereantur, si idem aut non audeant, aut non possint. Dicet fortasse quispiam, exhibitiō nem illam concipi posse si Sacramentorum usus serius ac legitimus statuatur conditio, ad cuius præsentiam Deus concedat, & quasi sentiendam exhibeat specialiorem aliquam gratiam suam; dum videlicet Deus, eum, qui signis istis juxta institutionem Christi ex vera fide utitur, & iis utendo officium suum facit, sensu gratiæ suæ singularis dignatur, ita ut ipse ille usus & exercitium, veluti medium sit, quo utens alacrior & promptior redditur ad obsequium divinum, & cæteras officij sui partes diligentius exequendum: At nemo Remonstrantium erit, qui id non libenter admissuras sit. Cæterum aliam quandam præter physicam, seu moralem, seu hyperphysicam exhibitionem statuere, quæ instrumentalis exhibitio & collatio sit rei signatæ, id vero propterea ακαλαληπτον est. Quod si qui tamen se concipere, atq; intelligere posse ejusmodi exhibitionis modum credunt, iij fruantur iudicio suo. Remonstrantes statuunt hac iā parte

299

cum